

insinuationibus cives cum detrimento reipublicæ ad egestatem redigantur: tum ut fraudibus in donatione magnæ quantitatis obvietur.

15. *Solidus, quid?* — Est autem solidus juxta receptam consuetudinem aureus hungaricus, sed apud nos ducatus, qui veteri solido suffectus est, Mynsinger, in § *Alia autem*. Instit. h. t. Scheidpeben, ibid. n. 24. Carpz. p. 2. Constit. 12. defin. 12. et post illos Pirhing, h. t. §. ut proin quingenti solidi sint quingenti aurei, seu ducati, quos si excedat donatio, apud judicem insinuari debet. Quæ tamen insinuatio, si a donante omittatur, non vitiat totam donationem, sed tantum quoad excessum; eo quod in iis, quæ dividi possunt, «utile per inutile non debet vitari.» l. *Si Sponsus*. 5. §. 2. ff. *de Donat. inter vir. et uxor.* et reg. 37. jur. in 6.

16. *Donatio quingentos solidos excedens valet in pluribus casibus absque insinuatione. Veluti I. Si fit ad reparationem ædium incendio consumptarum. II. Si fiat ad causas pias.* — Resp. II. Dantur plures donationes, quæ sine dicta insinuatione valent, etsi quingentos solidos excedant. Probatur inductione. Nam primo valet donatio facta alicui ad reparationem ædium, quæ ruina, vel incendio consumptæ sunt. l. penult. § *Eandemque*. 2. c. h. t. vel pro redemptione captivorum, cit. l. in prin. Ratio est, quia per hoc opus pietatis exercetur cit. l. prin. ibi: «Piissima administratio» ob eandem juris ex cit. l. desumptam rationem. Secundo universaliter valet donatio facta ad pias causas. Clarus, § *Donatio*. q. 17. n. 4; Pirhing, h. t. n. 6. et communis tam canonist. quam theolog. contra Zoesium ad ff. h. t. n. 48. et alios. Probatur etiam textu Matth., XIX, 21. *Vade, vende que habes, et da pauperibus.*

17. *Solvitur instantia ex jure.* — Nec obstant dispositiones juris civilis l. *Illud*. 19. c. *de Sacrosanctis Eccles.* et l. *Sancimus*. 34. c. h. t. Nam contra est; tum quia causæ piæ, dispositionis juris civilis non subjacent, arg. c. *Ecclesiae*. 10. *de Constit.* sed secundum sacros canones judicari debent, c. *Relatum*. 11 et 12. *de Testament.* et ibi Glossa; tum quia dictæ dispositiones civiles videntur sublata, et correctæ ab ipso jure civili cit. l. XXXIV, c. h. t. ibi: «Exceptis donationibus, quæ in causas piissimas procedunt,» et l. XXXVI. c. eod.

18. *Tertio, si fiat a belli duce militibus. Quarto*

*valet donatio, quam princeps privato, aut privatus principi facit.* — Tertio valet donatio rerum mobilium quingentos solidos excedens, quas duces militum «præstant militibus tam ex sua substantia, quam ex spoliis hostium, sive in ipsa belli occupatione, sive in quibuscunque locis degere noscuntur.» l. *Si quis*. 36. § 1. c. h. t. Quarto valet donatio, quæ a principe fit l. *Sancimus*. 34. h. t. ibi: «Exceptis donationibus imperialibus, etc., et quæ a privatis in principem fit donatio.» Authen. immediate seq. l. XXXIV. c. h. t.

19. *Quinto, si est remuneratoria, vel ob causam facta.* — Quinto valet donatio remuneratoria, Clarus, § *Donatio*. q. 16. n. 6; Bart., in l. *Aquilius*. 17, n. 3, ff. h. t.; Pirhing, eod. n. 6. et communis aliorum arg. cit. l. *Aquilius*. 27. ff. h. t. Ratio ibidem assignatur; quia talis donatio non est propria donatio, utpote qua fit ex mera liberalitate, arg. l. 1. ff. h. t. Ob eandem rationem etiam reliquæ donationes ob aliquam causam, v. g. ad militiam, studia, nuptias, etc. factæ subsistunt: quia «et hæ stipulationes, quæ ob causam fiunt, non habent donationem,» prout dicitur, l. *Hoc Jure*. 19. *Sed et hæ*. 5. ff. h. t. Attendendum tamen in donatione remuneratoria, ne excedat merita donatarii; quia quoad illum excessum non valeret. Clarus, loc. cit. q. 3, n. 3 et 4; Azorius, p. 3. lib. IX. *de Donat.* cap. vi. q. 4; Pirhing, ff. t. n. 6. cum communi.

20. *Donari potest omnis res in commercium humanum veniens; etiam aliena: et quomodo?* — Quæritur V. Quid donari possit? Resp. Omne id, quod in commercium humanum venit, sive sit quid corporale, sive incorporale, mobile aut immobile. Azorius, loc. cit. cap. iv. q. 1. cum communi et certa aliorum, toto tit. *de Donation.* Valet etiam donatio rei alienæ saltem ad hoc, quod donatarius rem donatam usucapere, et cum tempore præscribere posse; quamvis dominium ejus confestim non acquirat l. II. et tot. ferme tit. ff. *Pro donato*; Azorius, loc. cit. q. 2. quod si dein res evincatur, donans non tenetur de evictione, l. *Aristo* 18, §. fin. ff. h. t. ibi: «Labeo ait, si quis mihi rem alienam donaverit, inque eam sumptus magnos fecero, et sic evincatur, nullam mihi actionem contra donatorem competere.» Ratio assignatur l. *Ad rer.* 62. ff. *de Edilit. edict.* videlicet, «ne eo casu liberalitatis suæ donator pœnam patiat:» nisi forsans sciens

rem alienam mala fide et dolose, ignoranti donasset; tunc enim saltem pro restituendis impensis agere contra eum posset donatarius, cit. t. XVIII. ad fin. Imo si donatio, remuneratoria vel ob causam facta est, etiam de evictione tenebitur donator, etsi ignorans rem alienam donaverit, l. I. c. *de Donat. quæ sub modo.* et l. *Aquilius*. 27. juncta l. *Si pater*. 34. ff. h. t.

21. *Donare possunt omnes, qui rerum suarum administrationem habent, et lege non prohibentur.* — Quæritur VI. Quinam donare possint? Resp. I. Omnes, qui dominium, ac rerum suarum administrationem habent, nec specialiter prohibentur. Communis ac certa. Ratio est, tum quia juxta l. *In re mandata*. 21. c. «Mandati suæ quisque rei moderator, atque arbiter existit,» tum quia in materia communiter non prohibita «concessum intelligitur, quod non expresse prohibetur,» uti dicit Glossa communiter accepta in c. *Inter corporalia*. 2. §. *Non invenitur. de Translat. episc.* arg. can. *Jam nunc*. 8. can. 20. q. 1.

22. *Prohibentur autem donare plures: et quidem primo omnes, qui administratione rerum suarum carent.* — Resp. II. Plures sunt, qui de jure prohibentur donare. Probatur inductione. Nam I. Donare non possunt pupilli, minores, furiosi, amentes, prodigi, etc. Ratio est, quia universaliter omnes, qui administratione suorum bonorum carent, quales sunt præfati, etiam alienare et donare sine auctoritate tutoris vel curatoris prohibentur, per vulgaria juris.

23. *Secundo tutores et curatores de rebus, quas administrant, donare non possunt.* — II. Curatores ac tutores licet magna polleant auctoritate, ac potestate, donare aliquid de bonis, quæ administrant, non possunt, l. *Contra juris*. 28. §. fin. ff. *de Pactis*. ibi: «Juliano placet, etiamsi maxime quis administrationem peculii habeat concessam, donandi jus cum non habere.» juncta l. *Lucius*. 46. §. fin. ff. *de Administrat. et peric. tut.* et c. 3. *de Offic. vicar.* Ratio est, quia tutores et curatores dantur pro utilitate suorum principalium, l. *Tutor*. 22. et l. *Lucius*. 21. ff. *de Administ. tut.* non vero, ut bonorum eorum perdant, quale est donare, l. XXVII. prin. ff. h. t.

24. *Nisi remunerationis causa: aut quæ de more et consuetudine donantur.* — Nihilominus licet dictis tutoribus et curatoribus pro facultatibus, ac dignitate principalium, pro-

portionatas facere donationes remuneratorias pro meritis et servitiis principali collatis; item tales, quæ pro more et consuetudine fieri solent. Textus expressus habetur, l. *Cum plures*. 12. § 3. ff. *de Administration. tut.* ac l. XIII. ff. eod. docetque communis doctorum.

25. *Tertio pater donare non potest liberis nondum emancipatis.* — Pater donare non potest filio, quandiu hic in illius potestate est constitutus, l. *Cum de bonis*. 11. c. h. t. ac l. *Donationes*. 25. c. *de Danation. inter vir. et uxor.* Rationem doctores communiter assignant hanc; quia scilicet, omne, quod filius a patre acquirit, ac peculium filii profectitium spectat; cujus peculii quia pater dominus est, non tam filio quam sibi dare censetur. Neque tamen omni utilitate caret talis donatio; eo quod saltem post emancipationem, res prius donata, statim transeat ad filium donatarium, si usque ad emancipationem pater donationem non revocavit, l. *Donationes*. 31. § 2. ff. h. t. ibi: «Pater qui filiæ, quam habuit in potestate, mancipia donavit, et peculium emancipatæ non admittit, ex post facto donationem videbatur perfecisse.» Concordat, l. *Sive emancipatis*. 17. c. h. t. Filiis autem emancipatis (quales de Germaniæ consuetudine sunt etiam omnes illi, qui matrimonio juncti, in domo patris non habitant) pater valide donare potest, cit. l. XVII. c. h. t. juncta l. II. c. eod. Quia in his cessat peculii profectitii.

26. *Nisi ob causam, vel remunerationis gratia.* — Imo etiam non emancipatis valide donat ratione studiorum, vel officii addiscendi, l. XV. c. *de Negot. gest.* Item remunerationis gratia, l. *Cum pater*. 77. § 23. ff. *de Legat.* 2. quia et hujusmodi donatio, talis, propria non est, juxta dicta superius n. 3. Pariter ex causa militiæ, ad gradum vel honorem adipiscendum valide donat filio pater, quia et in hoc cessat prohibitionis ratio n. præced. adducta; cum ita donatum, efficiatur peculium castrense, vel quasi, in quo filius liberam dispositionem habet.

27. *Mater vero tam emancipatis, quam non emancipatis valide donat.* — Porro mater indistincte tam emancipatis, quam sub potestate constitutis liberis valide donat. Molina, disp. 291. n. 4; Layman, lib. III. tract. IV. cap. XII. Lessius, lib. II. cap. XVIII. n. 90; Gomez, *Var. resol.* lib. II. cap. IV; Engel, h. t. n. 14. Ratio est, tum quia et in hac quoque ratio prohibitionis cessat: «cum liberos

in sua potestate non habeant » § Fœminæ. 10. Instit. *le Adopt.*; tum quia eidem donare prohibitum non est, arg. l. *Sed si ego*. 4. ff. *ad S. C. Vellei*. Ratio ibidem additur; quia tam faciliter non donant, vel certe ordinario defectu administrationis multum donare non possunt. Nec obstat l. *Hæc ratio*. 3. § *de Donat. inter vir. et uxor.* ubi etiam donatio invalida declaratur illis verbis: « Si mater filio, qui in patris potestate esset, donet, nullius momenti erit donatio; quia patri quæritur. » Resp. enim cum communi doctorum in dicta lege ideo præcise matri prohibitum esse donare, ne donando liberis eluderet legem prohibentem donationes inter virum et mulierem; cum tempore illius legis conditæ, distinctio peculii adventitii introducta nondam esset, sed quidquid, exceptis castrensibus, ad liberos pervenerat, ad patrem de jure pertinebat, § 1. Instit. *Per quas personas cuique adquir.* consequenter etiam donatum a matre liberis, illico ad dominium patris devolveretur; prout ipsa lex apponendo rationem clare indicat: « quia patri quæritur; » sicque mater donando liberis, donare marito, et inde legem de prohibita inter virum et mulierem donatione, pro libitu eludere posset. Jam vero, quia novissima Justiniani imperatoris dispositione cit. § 1. Instit. *Per quas personas*, antiquo jure sublato habemus, quod solummodo donata liberis a patre, ad patrem, reliqua vero aliunde acquisita ad liberos spectent, cessat legis ratio, consequenter et lex ipsa.

28. *Quarto milites, et clerici donare non possunt concubinis.* — IV. Milites donare non possunt focariis, seu concubinis suis, l. II. c. *de Donat. inter vir. et uxor.* ubi etiam ratio additur; quia licet donatio meretrici ab aliis etiam ob rem turpem facta valeat, textu claro, l. *Affectionis*. 5. et l. *Donationes in concubinam*. 31. prin. ff. h. t. « Milites tamen meos (ait Imperator) a focariis suis hac ratione, fictisque adulationibus spoliari nolo. » Et quia clerici ordinarie gaudent privilegio militum; cum ipsi quoque militare dicantur, ac blanditiis fœminarum depauperari valeant; hinc dispositionem. cit. l. II. c. *de Donat. inter vir. et uxor.* etiam ad clericos merito extendit Rota, decis. 46. n. 6. coram Seraph. teste König, h. t. n. 10. citans Cæsar. de Pannimoll., decis. 59. n. 38. et Covarruviam, in c. *Peccatum. de Reg. jur.* in 6. p. 2. § 2. n. 2. qui ultimus tamen de hac re nihil resolvit.

29. *Quinto prohibentur donationes inter virum et mulierem. Remissive.* — V. Prohibetur donatio inter virum et mulierem, de qua amplius lib. IV. tit. XX. *De Donatione inter virum et uxorem.*

30. *Donatio etiam verbalis acceptata obligat, et parit actionem.* — Quæritur. VII. Quis sit effectus donationis? Resp. I. Donationis verbalis, quæ absque actuali traditione rei donatæ fit, effectus est obligatio tradendi rem donatam, si donatio a donatario fuit acceptata. Communis ac certa, textu claro § *Aliæ autem*. 2. Instit. h. t. ibi: « Donationes, etc., etiamsi (res donatæ) non tradantur, habeant plenissimum et perfectum robur, et traditionis necessitas incumbat donatori. » et l. *Si quis argentum*. 35. c. h. t. ubi etiam conceditur donatario actio (quæ conditio ex lege ibidem dicitur) contra donatorem ad tradendam rem verbaliter donatam.

31. *Si quis verbaliter tantum promisit, quod promissum servans, alios creditores non amplius solvere, vel se sustentare posset, tenetur æbita aliis creditoribus, et potest necessaria, sibi ante traditionem rei donatæ, detrahere. Ob moram creditoris non tenetur ad usuras; et ante traditionem pertinent fructus rei donatæ ad ipsum.* — Verum, si actione ad tradendam rem donatam convenitur donator, debet prius debita aliis creditoribus, et potest necessaria propriæ sustentationi deducere, casu quo solvendo totum promissum, alios creditores non amplius solvere, vel se honeste sustentare amplius non potest. l. *Qui ex Donatione*. 12. ff. h. t. ibi: « Qui ex donatione se obligavit, ex rescripto divi Pii, in quantum facere potest, convenitur: sed enim id, quod creditoribus debetur, erit detrahendum. » Concordat, l. *Quid ius*. 33. prin. ff. eod. ibi: « Actione non in solidum, sed in quantum facere potest, convenitur. » Quod si in mora tradendi est, non tenetur fructus ex re donata interea perceptos, donatario restituere. l. *In ædibus*. 9. § 1. ff. h. t. ibi: « Ex rebus donatis fructus perceptus in rationem donationis non computatur. » Idem habetur l. *Cum de modo*. 41. ff. eod. Ratio est, quia ante traditionem donatarius nondum est dominus rei donatæ; cum « traditionibus, non nudis pactis dominia rerum transferantur. » l. *Traditionibus*. 20. c. *De pactis*. Res autem domino suo fructificant. Neque tenetur ob dilatam traditionem usuras solvere, l. *Eum qui*. 22. ff. eod. ibi: « Eum, qui donationis causa pecuniam vel quid aliud promisit, de

mora solutionis pecuniæ usuras non debere, summæ æquitatis est. » Ratio ulterior est, ne donatori sua liberalitas nimis sit damnosa.

## § II.

DE DONATIONIBUS EPISCOPORUM, PRÆLATORUM, AC RECTORUM ECCLESiarUM, CLERICORUM, RELIGIOSORUM: UBI ETIAM DE REVOCATIONE DONATIONIS.

32. *Donationes magnas Ecclesiarum rectores de rebus Ecclesiæ non possunt facere.* — Quæritur I. An, et quid episcopi, alique prælati, ac ecclesiarum rectores donare possint de redditibus, et proventibus, vel aliis bonis ac rebus ecclesiæ, monasterii, etc. Resp. I. Donationes magnas, seu in magna quantitate, episcopi vel ecclesiarum prælati, sive sæculares, sive regulares ex mera liberalitate facere de redditibus, et bonis ecclesiæ non possunt. Communis ac certa, textu claro c. II. h. t. ubi etiam ratio additur, videlicet, quod « cum episcopus, et quilibet prælatus ecclesiasticarum rerum sit procurator (seu administrator) et non dominus, conditionem ecclesiæ meliorare potest, facere vere deteriorem non debet. »

33. *Quod si faciant, revocari possunt ac debent, a quibus?* Resp. II. Donationes præced. n. specificatæ, si ab ecclesiarum prælatis fiunt, revocari possunt ac debent, non tantum per successorem, sed etiam per ipsam prælatum ita donantem. Imo in defectu horum quivis alius clericus agere potest ad restitutionem honorum ecclesiasticorum præfatio modo donatorum. Tota conclusio constat ex iis, quæ diximus supra tit. XIII. *de Rebus eccles. non alien.* a n. 59. ubi similem conclusionem posuimus in casu, quo contra jura fit mala et invalida alienatio rerum ecclesiasticarum; qualis cum etiam sit donatio textu expresso, c. *Nulli*. 5. *de Rebus eccles. alien.* idem de ea dicendum est.

34. *Modicas tamen donationes de bonis Ecclesiæ rite faciunt ibi ubi ita donandi est consuetudo.* — Resp. III. Donationes modicas, seu in parva quantitate etiam mere liberales, præfati prælati valide ac licite facere possunt, ubi est loci consuetudo. Abbas, in c. III. h. t. n. 3; Pirhing, h. t. n. 13; Barbosa, in c. III. h. t. n. 2; Bell. *Disqui. cleric.* § 5. n. 10; Engel, h. t. n. 12. cum communi et certa aliorum, ob textum clarum, c. III. h. t.

ibi: « Datæ rei quantitas, et illius terræ consuetudo (quæ tamen sacris canonibus non obviet) est diligentius attendenda, et secundum hoc est donum ratum, vel irritum judicandum. Ratio est, quia ubi est consuetudo, non possunt hujusmodi donationes moderatæ absque querela et suspitione avaritiæ omitti; consequenter merito a jure conceduntur. Quænam autem sit parva et modica quantitas, cum in jure definitum non sit, id iudicis, aut viri prudentis arbitrio decidendum relinquitur, prout ex communi doctorum, et declaratione cardinalium a Fagnano, in c. *Nulli*. n. 26. *de Rebus eccles. alien.* allegata supra jam diximus tit. XIII. *de Rebus eccles. alien.* n. 38.

35. *Imo etiam ibi, ubi non est consuetudo.* — Resp. IV. Possunt ecclesiarum prælati modica donare etiam ibi, ubi modica donandi non est consuetudo. Glossa, loc. cit.; Imola, in c. III. h. t. in fin; Pirhing, h. t. n. 14. arg. c. II. h. t. ubi solum prohibentur donationes graves « et magni momenti: » ergo a sensu contrario non graves conceduntur. Accedit ratio, tum quia hoc pertinet ad liberam administrationem, quam de jure habent prælati c. *Cum nobis*. 19. in fin. *de Election.* ibi: « Liberam administrationem ei tam in temporalibus, quam in spiritualibus committentes. » et c. *Is cui*. 42. eod. in 6. ibi: « Plena et libera administratio; tum quia per hujusmodi modicas donationes evitatur avaritiæ suspicio, conservatur bona æstimatio et benevolentia hominum, indeque procuratur etiam Ecclesiæ utilitas. Nec obstat, quod prælati non sint domini, sed tantum administratores; quia etiam sæculares administratores et curatores domini non sunt, et tamen modica donare possunt juxta dicta superius.

36. *Dummodo per plus justo repetitas modicas donationes graviter non lædant Ecclesiam.* — Colliges, quod dum de facto modica donandi videatur introducta et recepta consuetudo, ac etiam absque hac prælatis donare liceat modica, ecclesiarum prælati in modicis donandis scrupulo esse possint. Dummodo non etiam per minutas, plus justo repetitas modicas donationes Ecclesiam graviter lædant, uti bene observat Glossa, in c. II. h. t. §. *Graves*. arg. l. *Si libertus*. 16. § 1. ff. *de Jur. Patron.*

37. *Nulla consuetudine introduci potest, quod prælati de rebus Ecclesiæ donationes magnas faciant.* — Resp. V. Nulla consuetudine